

- meliora reddis quam legendo sumpseras.⁶
 Sed ista parva: tu pius m[y]stes⁷ sacris
 teletis reperta mentis arcano premis.
 15 divumque numen multiplex doctus colis,
 sociam benigne coniugem nectens sacris,
 hominum deumque consciam ac fidam tibi.
 Quid nunc honores aut potestates loquar
 hominumque votis adpetita gaudia,
 20 quae tu caduca ac parva semper autumans
 divum sacerdos infulis celsus clues?
 Tu me, marite, disciplinarum bono
 puram ac pudicam sorte mortis⁸ eximens,
 in templa ducis ac famulam divis dicas;
 25 te teste cunctis imbuor mysteriis;
 tu Dindymenes Atteosqu[e] antistitem
 teletis honoras taureis consors pius;
 Hecates ministram trina secreta edoces
 Cererisque Graiae tu sacris dignam paras.
 30 Te propter omnis me beatam, me piam
 celebrant, quod ipse me bonam disseminas
 totum per orbem: ignota noscor omnibus.
 Nam te marito cur⁹ placere non queam?
 Exemplum¹⁰ de me Romulae matres petunt
 35 subolemque pulchram, si tuae similis, putant.
 Optant probantque nunc viri, nunc feminae,
 quae tu magister indidisti insignia.
 His nunc adeptis maesta coniunx maceror,
 felix, maritum si superstitem mihi
 40 divi dedissent, sed tamen felix, tua
 quia sum fuique postque mortem mox ero.

Romae in museo Capitolino, incertum quo loco reperta, basis magna marmorea (VI 4779 descr. Henzen). Est titulus sepulcralis Vetti, Praetextati N. 4258 et uxoris eius Aconiae Fabiae Paulinae (cf. N. 4260). Carmina tractavit Buecheler ind. schol. Gryph. aest. 1870 p. 15. — 1) Sacerdotia Praetextati enumerat etiam titulus ei positus VI 4778. — 2) Cf. supra N. 4258 not. 4 seq. — 3) Videtur scribendum VII, cum in titulo N. 4258 dicatur legatus septies. — 4) De sacerdotiis Paulinae cf. N. 4260. — 5) Verba sunt Paulinae. — 6) Apparet Praetextatum emendandis veterum scriptorum codicibus operam dedisse (cf. Jahn Ber. der sächs. Ges. 1851 p. 544). — 7) movestes lapis (emendavit Haupt). — 8) Sic lapis (non morbis). — 9) Fortasse scr. cui (Jo. Schrader). — 10) Scr. exempla.

1260 Fabiae Aconiae Paulinae c. f., filiae Aconis Catullini v. c. ex praef. et consule ord.¹, uxori Vetti Praetextati v. c. praef. et consulis designati, sacrae apud Eleusinam deo Iaccho Cereri et Corae, sacrae apud